



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 6. Ioannis Baptistæ caput suo capite luit puella saltatrix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius. Adulterium igitur vnum permisit pluribus adulterijs compensari; vt, quod Vriæ in vna vxore fecerat, ipse in multis pateretur.

§. VI.

Ioannis Baptista caput suo capite luit puella saltatrix.

Qua de caussa in nouo etiam testamento impia illa saltatrix, quæ caput Ioannis Baptistæ in disco poposcit, ipsa quoque caput, mirabili casu, immò mirabili Dei prouidentia amisit. Historiam Nicephorus his verbis commemorat. *Furibunda sed enim, & adultera incestaq; adeò illa, quæ quidem Herodis habebatur, reuera autem Philippi erat coniunx, vitâ longius actâ, quàm prius filiam & saltatricem acerbo fato sublatam vidisset, deinde ipsa quoque decessit, futuri sæculi Iudicio, & supplicio reseruata, meras ibi quàm citissime diuina ira faces, intolerabilisq; indignationis Domini calicem haustura. Filia autem eius (dignum enim est, qui memoria commendetur) talis fuit obitus. Eundem ei quòpiam brumali tempore erat, & fluius trayciendus, qui cum glacie constrictus, coagmentatusq; esset, pedes eum transibat. Glacie autem ruptâ, (idq; non*

sine

Niceph.
Callist.
lib. 1. hist.
Eccl. cap.
20.

sine Dei Numine) demergitur illa statim, capite
tenus: & in inferioribus corporis partibus la-
seuiens, molliusq; se mouens, saltat non in terra,
sed in undis: caput verò frigore & glacie concre-
tum, deinde etiam conuulneratum, & à reli-
quo corpore, non ferro, sed glaciei crustis rese-
ctum in glacie ipsa saltationem lethalem exhibet;
spectaculoq; eo omnibus prabito, scelestum hoc
caput, in memoriam ea, quæ fecerat, spectanti-
bus reuocat. I nunc, procax puella, ad con-
uiuantes ingredi, & dic ad regem: *Volo*, Marc: 6.
ut protinus des mihi in disco caput Ioannis Ba- 25.
ptista: dum caput illius petis, tuum morti
vendis; verè sententia tua in caput tuum
reuertitur; dum pedibus plaudis terram, &
comicè saltas, mereris vt paulò post tuum
à ceruice resectum caput, per glaciem, fu-
nestum chorum cogatur desaltare. Sic ca-
put Ioannis, capite meretricis, saltatio sce-
nica, lethali saltatione; & gladius Hero-
dis, glacie fluminis compensantur. Sæpius
postea simili pœna saltatrices perierunt. Io. Tri-
them. in
Nam Ioannes Trithemius & Cranzius scri- Chron.
bunt, in Saxonia, nocte Natiuitatis Domi- monast.
nicæ, saltantes, postea in pœnam, anno in- Hirsaug.
tegro, prodigiosissimè saltationem conti- Albert.
nuasse: Cantipratanus in Gallia iuxta Lau- Cranz.
dunum, lib. 4 Sæ
xon. c. 30

dunum, scribit, quosdam saltantes, rupto ponte alioqui firmissimo, aquis mersos esse. Simile quid, sub Rudolpho I. Traiecti contigit, ubi cum iuvenes & puellæ, viri & feminae choreas in ponte frequentes ducebant, & illac venerabile Christi Sacramentum deferretur, nullo in genua procumbente, pons decidit, & ducenti propè mortales perierunt. Nempe qui saltando peccarunt, luerunt quoque de ponte salientes, ut quia filiam Herodiadis in petulantia imitabantur, ei etiam in interitu assimilarentur.

§. VII.

S. Paulus an percipienti imprecatus sit, ut vicissim percuteretur?

Sanctus Paulus, quod orationis initio Principem sacerdotum Ananiam nominatum non aliquo honoratiore titulo affectisset, vel tantam innocentiam professus esset, *Ananias precepit astantibus sibi, percutere os eius, cui illico talionem vaticinans Paulus dixit: Percutiet te Deus, paries dealbate.*

Act. 23: 2.

S. Augustin. 1. de Serm. in monte, 219.

Hæc verba docet S. Augustinus minus intelligentibus conuitium sonare, intelligentibus prophetiam esse. Nam tunc Apostolus serio, atque Apostolica quadam auctoritate, percussionis suæ authori interitum denuntiavit,

tum